

Beih.

2

S 186

1291 Juli.

[54  
186]

Wildgraf Godfried Roub von Kyrburg bekundet seine Ausöhnung mit dem Wildgrafen Conrad von Dhaun.

Nos Godefridus dictus Roub, comes Silvester de Kirberc, universis tenore presentium protestamur, quod nos et nostri bona nostra voluntate de controversiis, que vertebantur inter nos et nostros ex una parte et Conradum consanguineum nostrum, comitem Silvestrem de Duna, et suos ex altera parte, mediantibus nostris a nobis simul constitutis arbitris, videlicet domino Theoderico milite de Kaldenvels, domino Wilhelmo milite de Smideburc et Thilemanno domicello de Heinzenbere, sumus amicabiliter reconciliati et reformati, ita quod Paza domina de Diffenbach cum suis pueris, Gotzemannus et Mathyas frater suus de Bergen, Ungerech cum fratribus et sororibus suis, Filemannus dictus Hoenbergere cum pueris suis, Heinricus dictus Bose, uxor Alberti pistoris cum pueris suis, pueri Filemanni dicti Karrenmechere, pueri Hermannii Longi de Brucken, Winzingus cum fratre suo Gozen ac Bertramus Louchert predicto Conrado et suis heredibus iure attinebunt. Insuper si Conradus prefatus vel sui molendinum in Monzichen edificare voluerint, nos Godefridus antedictus comes ipsum vel suos heredes in dicto molendino non debemus impedire; illud etiam addicientes, quod si heredes Amilii in Kiren molendinum suum in Kiren edificare voluerint, nos sepe-dictus Godefridus et nostri heredes ipsos heredes Amilii in molendino dicto non impediemus; promittentes etiam, quod nos et nostri heredes ipsum vel suos heredes in prescriptis hominibus et in dictis molendinis, ut dictum est, numquam curabimus impedire. Quod si negligeremus, recognosceremus nos Godefridum prefatum comitem periurum esse sine fide et absque honore. In cuius rei testimonium presentes litteras sigillo nostro et sigillo Theoderici militis arbitri nostri de Kaldenvels ad rogatum nostrum dedimus roboratas. Ego Th . . predictus ad petitionem Godefridi Roub comitis Silvestris meum

sigillum huic scripto duxi apponendum. Datum anno Domini M<sup>o</sup>CC<sup>o</sup>XC<sup>o</sup> primo . . mense Julii.

Orig. 2 Siegel; Kyrburg Nr. 103 $\frac{1}{2}$ . Kopie des 17. Jhdts. Dhaun 25 $\frac{1}{2}$ ; desgl. von 1750 im Corp. rec. Ringr. S. 75—76. — Kurzes Regest Goez a. a. D. IV, Nr. 1920.